

*Incorporatio Inferioris Sclavoniae, medio instituendae Commissionis effectuanda; committitur.*

Articulus 118.

Humillimis Petitis Statuum et Ordinum memoratorum Regnorum Croatiae et Sclavoniae (communi Regni Ungariae Statuum et Ordinum Voto) annuit perbenigne Sua Majestas Caesarea et Regia; ut medio proxime instituendae Commissionis, adhibito etiam ad id Causarum Regalium Directore, vel alio idoneo Subjecto, Fisci Regii nomine; de modo et formalitate, ad Sacram Coronam Reincorporationis Inferioris Sclavoniae, Comitatumque in ea existentium cognoscatur et determinetur; ad benignam Caesareo-Regiae Majestatis Ratificationem. \*)

*De libero Quaestu, inter Regna et vicinas Provincias exercendo; vinique inductione admittenda.*

Articulus 119.

Sacra Caesarea Regiaque Majestas, liberi Quaestus inter Regna Croatiae et Sclavoniae, vicinasque ipsis Provincias, Exercitium; vinique Inductionem, quam commodissime fieri poterit; se procuraturam benigne obtulit et declaravit. \*\*)

*De Statutis Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae hactenus confirmatis; et aliis per Suam Majestatem deinceps confirmandis.*

Articulus 120.

Cum Occasione Confirmationis et Observationis Statutorum Municipalium praefactorum Regnorum, sub decursu praesentis Diaetae plures et variae subortae fuissent Quaestiones; Sacrae Majestatis Regiae, atque communi Statuum et Ordinum Voto decisum est;

§. 1. Ut Primo: Statuta eorundem Municipalia, Regia Autoritate specificè confirmata; in nullam amplius de sui validitate veniant Quaestionem.

§. 2. Secundo: Pariformiter etiam per Articulum 66. Anni 1681. generice confirmata (salvo duntaxat Privati cujuscumque ex eorum aliquo gravati, ad Regiam Majestatem recursu) itidem pro validis et firmis habeantur.

§. 3. Tertio: Quae neutro modo praedecarato hactenus firmata fuissent; dispositio tamen eorum adhuc duraret; et pro futuro obligare posset; ea, et talia, intra Anni unius spatium, Suae Majestati Caesareo-Regiae producenda; examini et confirmationi, vel reprobationi Regiae subjiciantur.

\*) Confirmatur et extenditur; An. 1741. a. 50.

\*\*) Coafer; An. 1741. a. 27. et 3. seqq.